QVAESTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VII. DECEMBRIS.

M. CLAVDIO DE POIS, Doctore Medico Moderatore.

An ab Aëre Sanitas, Morbus?

OMNI hominum ordini, ætati, sexui, temperamento, regioni ab Aëre ingruunt morbi. (quidni?) Nónne is vitæ dominus? mortis nuntius? sine quo, nec datur sanitas, nec tollitur morbus. Corpus regit, animum; inspirando quem, viuimus; expirando, morimur: quippe qui illius tanta sit necessitas, vt ne momento quis carere velit, possit, citra vitæ iacturam. Purus, tenuis, lucidus; nulli non amicus. Crassus, nebulosus; cuique noxius: ille vitam tutatur, ac conseruat: hic atterit, depopulatur: hinc qui nos alit nos extinguit, vita, sanitas, morbus, mors: non plus vltrà sæuit aëris inclementia.

TEMPORVM mutationes pariunt morbos, soluunt. Omnes ab aëre, victúque: is hyemis, æstatísque causa: in hac sub Cane, & ante Canem difficiles purgationes: in illa faciles. Naturarum quædam ad æstatem; aliæ ad hyemem, benè, aut malè se habent. Morborum Autumnalium Vere expectanda solutio: Vernalium Autumno. Arthritis Bacchi, & Veneris proles, tunc temporis facit sui copiam. In morbis Cœlum, & Solum mutare expedit. Laborantes Epilepsiâ pueros, Loci, Aëris, Victúsque mutatio persanat. Siccitates imbribus salubriores, & minùs mortiferæ. Anima sicca humidâ viuacior, prudentior: & nescio quo tandem fato fiat, vt morbus sit aliquis per sapientiam mori: stupidi cùm sint longæui.

SI in emendo agro, quantò magis in conseruandâ sanitate, propulsandâ iniuriâ, eligenda aëris bonitas; regio, ætas, tempestas, non magis suo aëre, quàm moribus, morbis definienda: harum enim quælibet proprios patitur manes. Orientalis salubris, Pueritiæ, Veri analoga: in hoc Epilepsiæ, Insaniæ, Hæmorrhagiæ, Anginæ: in illa Calculi, Lumbrici, Στραγγουρίαι, Strumæ, (Regiâ manu, Medicâ curabiles.) Meridionalis, Iuuentuti, Æstati; hinc Febres Continuæ, Ardentes, Tertianæ, Diarrhœæ, Ἱδρῶα, Sanguinis sputa, φθόαι. Septentrionalis, Virilitati, Autumno; Quartanæ, Ὕδρωπες, Dysenteriæ, Ilei, Phrenitides, Choleræ, Hæmorrhoïdes. Occidentalis morborum ferax, Senectuti, Hyemi; Pleuritides, Apoplexiæ, Lethargi, Tusses, Raucedines.

VT Iouis, sic Aëris omnia plena; nec tantùm corpori præest: sed & mores animi fingit. Qui lucidum hauriunt Monticolæ, claro, & acutiori sunt ingenio. Qui crassum, obtuso, plumbeo. Regionem planam qui incolunt, tranquillo, ac pacato. Qui aridam, superbo, pertinaci. Syluosam, subdolo, ac multiplici. Omnis namque à temperie actio varia, pro Aëris, & Ventorum diuersitate. Qui Austro perflantur, molles, pigri, hebetes, Asiani. Qui Aquilone, robusti, bellicosi, Europæi. Qui horum diuersitate, proterui. Vbi mutationes crebræ; ibi mores, morbos varios inuenias.

MENS agitat molem: Spiritus impetum faciunt, à sanguine attenuato ab aëre quem inspirando ducimus, orti; triplici effluuio remedium, ab eo spirituosa viuentis substantia, à potu humida, à cibo solida resarcitur. Corpus is calefacit, refrigerat, exsiccat, humectat. Mentem, corpus excitat, nec sinit quiescere: & cuius ope calor natiuus recreatur, in subsidium ne deficiat: Calidum namque moderato frigido nutritur.

Ergo ab Aëre Sanitas, Morbus.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS MARTIN Parisinus, A.R.S.H. M.DC.XXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau.
M. Dionysius Allain.
M. Lazarus Pena.
M. Iacobus Cousinot, M. & P.R.
M. Petrus de Beaurains.
M. Ioannes Cousin.
M. Hieronymus Goulu P.R.
M. Henricus Blacuod.